

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio De Restituendis Duobus Versibus Jos. XXI. In
Quibusdam Codicibus Hebraeis Omissis**

**Abicht, Johann Georg
Flachs, Sigismund Andreas**

Lipsiae, 1714

VD18 11446064

§. V.

[urn:nbn:de:bsz:31-130552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130552)

existimes, versus istis temporibus esse numeris distinctos, siquidem MStorum inspectio contrarium docet.

§. V.

Defiderantur porro nostri versus in omnibus Codicibus, secundum Masoretharum traditiones scriptis aut correctis. Testem hujus rei habemus locupletem R. David Kimchium, qui secundum R. David Ganz claruit A. M. 4950. h. e. Christi 1190. Plures Codices MStos Kimchium inspexisse, nulli dubitamus, quare quid de nostris versibus annotaverit, jam videbimus.

In hoc versu 7. Cap. XXI. Josue Scriptor refert, duodecim urbes datas esse filiis Merari, de tribu Ruben, de tribu Gad, de tribu Sebulon: infra vero in enumeratione urbium octo tantum urbes memorat, de tribu Sebulon quatuor, de tribu Gad quatuor, de tribu Ruben nihil scripsit. Prostant Codices, in quibus a Correctore additum est: Et de tribu Ruben, Bezer & suburbia ejus, Jahza & suburbia ejus. Kedemoth & suburbia ejus, & Mephaath, & suburbia ejus, civitates quatuor. Non vidi illos versiculos in ullo libro antiquo & accurato, sed additi fuerunt in quibusdam a Correctore.

בזרה הפסוק אימר כר שתים
 עשרה ערים היו לבני מררי
 ממטה ראובן וממטה גר וממטה
 זבולון ולמטה בספור הערים
 לת כתב אלה שמנה ערים
 ממטה זבולון ארבע וממטה
 גר ד' וממטה ראובן לת
 כתב ויש כפרי מונה בהם
 וממטה ראובן את בצר ואת
 מגרשיה את יהצה ואת מגרשיה
 את קדמית ואת מגרשיה
 ואת מיפעת ואת מגרשיה
 ערים ארבע ולת ראיתי שני
 פסוקים אלו בשום ספר ישן
 מדייק אלה מונה במקצתם:

B

Sed

Sed notum est, R. Davidem Kimchium Masoretharum traditionibus fidem adhibuisse nimiam, eosque tantum Codices inspexisse, qui a Grammaticis, quos magni æstimabat, secundum Patrum traditionem vel Masoram erant correcti, ideoque eum idoneum MSSorum judicem esse negamus. Doctissimus Richard Simonius male vertit Kimchio, quod dixerit, se in nullo Codice accurato nostros versus legisse, cum tamen certum sit, eos non solum in Codice R. Theodori, sed & in aliis Codicibus Hispanicis apparere, Histoire Crit. Lib. I. ch. XXII. p. 125. Accedit & hoc, quod Kimchius fatetur, se versus illos invenisse a correctoribus additos, ubi non perpendit hoc ex fide codicum antiquorum factum esse. Gravisima ratio, qua Kimchius motus nostros expungendos statuit versus, ea fuit, quod R. Haje eosdem in suo Codice non legit, uti §. 4. dictum. Sed ex hoc apparet Kimchium communi Judæorum præjudicio abreptum hæc scripsisse. Judæos enim a Majorum suorum traditionibus difficulter desciscere, luce meridiana est clarius. Doctissimi Benedictini, quorum cura Hieronymi opera Parisiis lucem adspexerunt, in annotatione ad nostrum locum observant Tom. I. p. 275. *extare etiam nonnullos (hebræos Codices) sed recentiores, in quibus absunt duo versus supra citati, quemadmodum & in antiquis Latinis libris.* Existimamus, quos recentiores Benedictini appellant, esse etiam secundum Masoram a Grammaticis scriptos, vel emendatos, adeoque convenire cum illis, quos R. Dav. Kimchi inspexit.

§. VI.

Si causam defectus horum versuum in Codicibus ad Masoretharum traditiones emendatis cognoscere studes, eam ex Masora ipsa percipe, quæ ad Cap. XXI. Josuæ, & in Buxtorf. Bibl. in fine fol. 13. col. i. legitur:

מן ויתנו בני ישראל

ללוים מנחלתם ען ויתן

*A verbis illis: Et dederunt
Israelite Levitis de hereditate sua. h. e. a cap. XXI. v. 3.*